



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Imitatione Christi

Thomas <von Kempen>

Antverpiae, 1607

Quòd toto corde anima deuota, Christi vnione[m], in Sacrame[n]to  
affectare debet. 13

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48701)

gratiam consequendam. Ex eo quippe valdè indispositus quis redditur, si statim fuerit nimis effusus ad exteriora solatia. Caue à multiloquio, mane *Prov. 10.* in secreto, & fruire Deo tuo. Ipsum enim habes, quem totus mundus tibi auferre non potest. Ego sum, cui te totum dare debes: ita ut iam ultra non in te, sed in me, absque omni sollicitudine, viuas.

## CAP. XIII.

*Quòd toto corde anima deuota, Christi  
vniõnem in Sacramento, affe-  
ctare debet.*

## VOX DISCIPVLI.

**Q**uis mihi det Domine, ut inueniam te solum, & aperiam tibi totum cor meum, & fruam te, sicut desiderat anima mea: & iam me nemo despiciat, nec vlla creatura me moueat vel respiciat, sed tu solus mihi loquaris, & ego tibi, sicut solet dilectus ad dilectum loqui, & amicus cum amico conuiuari? Hoc oro, hoc desidero, ut tibi totus vniam, & cor meum ab omnibus creatis rebus abstraham, magisque

*Exod.  
33. &  
Cant. 8.*

que per sacram Cōmunionem , ac frequentem celebrationem , cælestia & æterna sapere discam . Ah Domine Deus , quando ero tecum totus vnitus & absorptus, meique totaliter oblitus?

*Ioan. 15* Tu in me, & ego in te, & sic nos pariter in vnum manere concede.

*Cant. 5.* 2 Verè tu es dilectus meus , electus ex millibus, in quo complacuit animæ meæ habitare omnibus diebus vitæ suæ. Verè tu pacificus meus , in quo pax summa & requies vera , extra quem labor & dolor, & infinita miseria. Verè

*Prou. 3.* tu es Deus absconditus , & consilium tuum non est cum impijs, sed cum hu-

*Sap. 12.* milibus & simplicibus sermo tuus . O quàm suavis est Domine spiritus tuus, qui vt dulcedinem tuam in filios demonstrares , pane suauissimo , de cælo descendente , illos reficere dignaris.

*Deut. 4.* Verè non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut tu Deus noster ades vniuersis fidelibus tuis, quibus ad quotidianum solatium , & cor erigendum in cælum, te tribuis ad edendum & fruendum.

3 Quæ est enim alia gens tam inclita, sicut plebs Christiana ? Aut quæ creatura

tura

tura sub cælo tam dilecta, vt anima deuota, ad quam ingreditur Deus, vt pascatur eam carne sua gloriosa? O ineffabilis gratia: ô admirabilis dignatio: ô amor immensus homini singulariter impensus. Sed quid retribuam Domino pro gratia ista, pro charitate tam eximia? Non est aliud, quod gratius donare queam, quàm vt cor meum Deo meo totaliter tribuam, & intimè coniungam. Tunc exultabunt omnia interiora mea, cùm perfectè fuerit vnita Deo anima mea. Tunc dicet mihi: Si tu vis esse mecum, ego volo esse tecum. Et ego respondebo illi: Dignare Domine manere mecum, ego volo libenter esse tecum. Hoc est totum desiderium meum, vt cor meum tibi sit vnitum. Ps. 115.

## CAP. XIII.

*De quorundam deuotorum ardenti desiderio, ad corpus Christi.*

## VOX DISCIPULI.

**Q**uàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Quando recordor deuotorum aliquorum, ad  
Sacra-

*Psal. 30.*